



**G**uelpho filius fuit Ifenberti & nepos Vuarini comitum ab Altorff. Hic ob magnam corporis fortitudinem atque insignem belli peritiam primus in sua gente Vuelpho, à Lupis & canibus dictus, quorum catulos Germani Vuelphos appellant. Nam ea animalia antiquitus Marti dicata erāt. Guelpho itaque Caroli Magni castra secutus, res sibi commissas egregiè expediuit, atq; apud omnes proceres sibi magnum nomen comparauit. In primis autem pietatem & ueram religionem amauit. Itaque Pontificū Romanorum causas subinde adiuit, & quantum potuit promouit. id quod etiam posteritas ipsius semper fecisse perhibetur. Erat

autē familia quoq; in Sueuia, huius generis amula, quæ Gibelina dicebatur, apud quos Fridericus Barbarossa postea educatus fuit. Illi Cæsaris partes defendentes, & pontificibus fortiter restiterunt. hinc factum ut pontifices posteriores, & Italiae fautores sese Guelphos, & Cæsariani se Gibellinos appellarent, quæ factiones postea multoties cruento prælio concurrerūt, id quod suo loco declarabitur. Cum hoc modo paternum comitatum magna gloria administrasset, tandem moriens, Barbonem & Conradum filios, & Iuditham filiam reliquit. Ex his Iuditha Ludouici Pij Imperatoris uxor, atque Caroli Calui Cæsaris mater extitit. Conradus autem Erriconem genuit, ex qua familia tandem duces Boiariæ procreati fuerunt, id quod prius in horum comitum Genealogia, & postea suo loco declaratum est. Auent. lib. 6.